



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 10. Avaritia Judicum & calliditas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

gerebant vel gerere poterant alii, & inter Judices ordinarios ipsi quoque numerabantur: præter quos dabantur delegati, delegatorum vicarii & alii cognitores. Quomodo inveniri poterat tantus Judicium numerus ad functiones suas habilium? Omitto reliquos justitiæ ministros.

§. X.

Avaritia Judicum & calliditas.

De inveniendis talibus, qui commodis non servirent suis, ne cogitandum quidem erat. Patebat manifesto Clerum lucri studio præcipue inductum esse ad hanc occupationem, tam parum gratam per se ipsam. Si quis eam charitatis causa sibi sumebat, ut S. Ivo, miraculum erat.

Quamdiu Episcopi Clericique potissimum quærebant Dei gloriam & salutem animarum, scilicet quinque aut sex primis seculis, satis occupati erant sacris precibus, docendo populos, consolando pauperes. Non sufficiebant arbitria nisi ægre, partes-

Histor. Eccles. Tom. XXIII.

C que

que reconciliandi gratia. At ex quo tempore volebant in laicos dominari & opes congerere, putabant se viam inter optimas unam ingredi, cum omnes eorum causas sibi subjicerent. Occasionem præbuit ignorantia laicorum tanta, ut ne legere quidem

Diff. 5. §. 5. scirent (quod dixi alibi) magnique Domini haberent Clericos, qui epistolas & libellos componerent, argentum cogerent & custodirent, accepti expensique rationes conficerent. Clerici agebant tabularios, notariosque, advocatos & procuratores: verbo munia exercebant omnia, in quibus opus est nosse scribere. Unde factum, ut juniores pragmatici sermone Gallico *Clercs* etiamnum vocentur.

Ita Clerici ab instituto vitæ suæ sensim recedebant obliviousentes illud *2. Tim. 2. 4.* Apostoli dictum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus:* neque his implicabant se tantum, sed obrucebant etiam, ac demergebant. Tantum aberat, ut errorem sentirent suum,

ut

ut eum gloriæ sibi ducerent, atque
hujus nimiæ jurisdictionis, quam ve-
rorum Ecclesiæ jurium studiosiores ^{v. Diff. 5.}
huic servitutem injungi clamarent,
^{§. 17.}
cum cernerent molitionibus suis limi-
tes poni plerisque in conciliis secu- ^{Conc. de}
li decimi tertii ac decimi quarti. ^{Lond. 1237.} ^{Hist. l. 81.}
Quo usque processerit Judicum cal- ^{§. 81. 12.}
liditas, videmus per abusus tribuna-
lum ibi condemnatos. Inter alios
impediebant partes, ne transigerent,
ut ipsi haberent exercitationem fo-
rensem: cum tamen primis seculis E-
piscopi solum conarentur Christianos
a litibus impedire. Jurisdictionio in ju-
ris nundinationem verti, religio quæ-
stui lordidissimo autoritatem tribue-
re, Christus novos lucrandi ac dite-
scendi modos doctum venisse videba-
tur: Christus, inquam, qui amorem
paupertatis ore ac exemplo suo tan-
topere commendavit.

Præter peculiares obtentus ju-
risdictionis ecclesiasticæ propagan-
dæ generalis quidam inventus est in
ratione peccati. Ecclesia, ajebant,

C 2 per

per potestatem clavium habet jus cognoscendi, quidquid est peccatum, ut sciat, utrum remittere id, an retinere, ligare fontem, an solvere debat. In qualibet autem controversia de commodo profano alterutra pars, & interdum utraque injuste contendit aliquid esse suum: & hæc iniqitas est peccatum: igitur ad forum sacrum pertinet. Ex hoc principio Episcopus erat Judex cunctarum litionis fœde reos, & Papa omnium bellorum inter supremos Principes; nempe, ut rem proprie dicamus, solus summo regnabat jure. At facile est enodare hoc sophisma. Ecclesia est Judex omnis peccati in foro interno, quando nocens se de illo accusat; vel etiam in externo, cum crimen est publicum & mali exempli: sed ejus judicium finitur aut irrogatione pœnae salubris, aut proscriptione sacra sine privatione rei profanæ.

§. XI.